TRACTATVS DE DECRETIS CAETERISQVE SOLEMNITATIBVS,

In Contractibus Minorum, aliorum'ue his ſimilium, adhibendis,

D. OCTAVIO SIMONCELLO

Callienſi. V. I. D. et Eq. Auctore:

In quo inter alia Notabiliora plura, materia Auth. Sacramenta Puberum. C. Si aduerſ. vend. eleganti ordine, & copioſiſsimo ſtilo diſpoſita habetur:

Per Auctorem hac noua Editione, Additionibus quamplurimis exornatus, & ab Erroribus diligenter expurgatus:

Omnibus Pontificij, Cæſareiq; Iuris Profeſſoribus, Cauſſarum Patronis, Ius Dicentibus, ac Notarijs perutilis, & neceſſarius.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.

VENETIIS,

Apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem. 1583.

Coll. Soc. Iesu ...

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

Num. 18.
Cax. 8.
Num. 27.
1a
17903

ILL.mo PETRO VRSINO
VIRO PRAESTANTISS.
OCTAVIVS SIMONCELLVS
Iur. Conſ. Callien.

NVNQVAM ſatis mihi probari potuit noſtrorum temporum mos, atque inſtitutum, vt Iuuenes adhuc imberbes, ſtatim atque Gymnaſia viderint, ac vix primoribus labris Legalem philoſophiã deguſtarint, Lauream Doctoratus ſe non indignè conſequi poſſe exiſtiment: Quemadmodum etiam minus probandum videtur, vt hi qui diù in Studijs verſati ſunt, dies illos ſine iactura impendiſſe minimè declarent. Quorum vtrumque euadere ipſe cupiens, non ſine maximis impenſis, continuiſq; vigilijs ac laboribus per continuum ſeptennium in nobiliſſima, auguſtiſſimaq. Peruſina Academia commoratus fui; vtq. temporis in ſtudio Legali à me impenſi ratio redderetur, optimum fore duxi ad publicam omnium vtilitatem aliquid conſcribere: Verùm mihi cogitanti, ſeduloq. mecum perpendenti, à quo ſcribendi genere conſultius exordiendum foret,

TRACTATVS DE DECRETIS CAETERISQ. SOLEMNITATIBVS In Contractibus Minorum, *Aliorumue his ſimilium adhibendis.*

D. OCTAVII SIMONCELLI Callienſis. V. I. D. & Eq.

Præfatio.

SVMMA NOTABILIVM.

1 PRAEFATIONIS effectus.
2 *Decreti definitio in genere.*
3 *Decretum in iure multis, uarijſq. ſumitur modis, & uſque ad* XXI. *ſignificationes recenſentur.*
4 *Sentētia interlocutoria, parte non citata ferri poteſt. Et quæ ſit rō.*
5 *Præſentia eius qui actui contradicere nequit, non eſt neceßaria.*
6 *Decreti definitio, in ſpecie, quæ tamen reprobatur, & alia eius loco ponitur per Aut. nu 7.*
8 *Decretū in quo differat à Sentētia.*
9 *Minor is intelligitur, qui non dum* XXV. *annum compleuit.*
10 *Ad unamquamq; rem introducendam quatuor cauſæ neceßariæ ſunt.*
11 *Cauſæ duæ principaliter requiruntur ad aliquid inducendum.*
12 *Cauſa efficiens Decreti, quæ ſit.*
13 *S. Conſ. Clementianum quod quandoq. uocatur Oratio, introduxit Decretum.*
14 *Verba d. Orationis ſiue S. Conſ.*
15 *Diſpoſitum in Prædijs per præd. S. Conſ. hodie locum habet omnibus in rebus, quæ poßunt ſeruando ſeruari.*
16 *Veſtes detritæ, & ſuperuacua animalia, ualēt ſine decreto diſtrahi.*
17 *Verba d. S. Conſ. an dicantur prohibere pupillorum tutores, uel etiā adultorum curatores.*
18 *Pupilli quandoq. Curatores habēt.*
19 *Materialis decreti cauſa quæ ſit.*
20 *Decretum eſt quid ſeparatum à cauſæ cognitione, cæteriſque ſolemnitatibus.*